

aut sex uncias, manè quatuor horis ante prandiu A
per plures dies accipiet. Atque interim bis in se-
ptimana, accipiet pillulam aloeticam, ex aloe pura
& non lota, pondere vnius scrupuli, hora ante cœ-
nam. Et iisdem temporibus manè, & vesperi an-
te cœnam, abluentur illi crura ex decocto pule-
gij, maioranæ, foliorum lauri, & chamæmeli, sitq;
aqua calida: qua etiam inspergantur coxæ deor-
sum perfricatio. Eodem tempore dum in balneo
commoratur, applicentur ventosæ sine scarifica-
tione sub utroq; poplite: & ita perseueretur per
multos dies. Vltimo his non iuuantibus sanguis
quoque mittatur à saphænis: qui quidem in hoc
casu vltimo loco mittendus est, & non in princi-
pio, sicut plurimi faciunt, communem mittendi
sanguinem regulam obseruantes. Efficacissimæ
quoque erunt pillulæ infrascriptæ, vbi aloe non
fatis perfecit: quæ habent.

R. Myrrhæ,
Croci,
Aloes,
Agarici præparati ana ʒ.ij.

Puluerizentur omnia per se, deinde miscean-
tur, postea aspergantur cum succo maioranæ, per
mittantur exiccari, & ita iteretur septies: postea
fiat magdaleon cum syrupo de absinthio: formen-
tur pillulæ pro singula drachma tres, sumentur
tribus horis ante prandium, bis in septimana.
Quantum verò ad cordis tremorem, & hystericas
suffocationes attinet: si fortè plus æquo molesta-
tur, his quoque succurrendum est. Pro cordis igitur
tremore laudauerim, vt linimento vteretur in
hunc modum facto.

R. Vnguenti rosati Mesuræ ʒ.ij.
Specie. cordialium temperatarum ʒ.ij.
Rosarum rubearum,
Sandalorum citrinorum ana ʒ.ij.

Misce cum modico olei rosati completi, fiat li-
pimentum pro corde. Item

R. Sacchari rosati,
Conseruæ boraginis,
Florum nymphæ ana ʒ.ij.
Specierum diamus. dulcis,
Aromatici rosati ana ʒ.ij.

Misce omnia cum syrupo de corticibus citri:
fiat electuarium, de quo sumat cochlearia duo
singulis vicibus, paulò ante prandium, & ante
cœnam. Pro hysteriis suffocationibus si fortè
contigerint: præsentanea certè remedia sunt, vt
frictiones, ac ligaturæ fiant in cruribus, & circa
genua, & cucurbitulæ apponantur sub utroque
poplite, & quandoque etiam, vbi vapores pluri-
mi ad caput, & cor irrepserint: ponenda est ma-
gna & ampla cucurbitula circa vmbilicum, in par-
te inferiori ad vteri regionem, atque interith fœ-
tida naribus apponere debent, vt sunt calceamen-
torum veterum soleæ vstæ, pennæ perdicum, &
reliquarum auium, quæ & ipsæ adurantur. Locis
verò, & ori vteri, odoramenta apponantur, fiant
pessaria madefacta oleo maioranæ cum musco &
ambra. Hæc enim præstare poterunt, quæ inten-
dimus: atque his remediis spero nobiliss. adole-
scentulam euasuram, cum summi Dei auxilio, cu-
ius nomen benedictum.

De suppressione menstruum, pro coniuge no-
bilissima Seruatij à Theuffenbach ex Sti-
ria. Anno Christi 1549. Mense Nouembri
dictatum 10. Cyatoni Verona.

SUPPOSITA dispositione vteri præ-
ter naturam nobilissimæ mulieris, cu-
ius ratione menses sunt diminuti, vel
infœcunditas timetur; supposita etiam
intemperie frigida præternaturali, cum gracilitate
corporis, & venarum exilitate, dicimus hoc
corpus indigere & præseruatione, & curatione.
Præseruatione, quantum pertinet ad ipsam intem-
periem naturalem: curatione, respectu actionis læ-
sæ in vtero existente. Erunt tamen pleraque eo-
rum, quæ afferentur, vtrique communia. Pro præ-
seruatione igitur, quod diligentissimè obser-
uari oportet, est optima ratio in sex rebus non na-
turalibus, ac primùm omnes aeris excessus evita-
bit, præcipuè tamen vbi frigiditas vel humiditas,
vel vtraque simul excefferint. Ergo flatus omnes
Boreales & Australes cauebit, non exponet se, vel
aliquo pacto habitabit in locis Septentrioni op-
positis, neque in terrenis habitationibus, aut hu-
midis quoque modo. Non abluet caput horis ma-
tutinis, ita quemadmodum moris est. Post lotio-
nem aeri se exponet, præsertim si in aere frigidi-
tas, vel flatus aliquis dominetur. Pluuiosas etiam
constitutiones cauebit, & quantum fieri potest,
tunc temporis intra domum se continebit, suffu-
migiis vteretur ex aromatibus odoratis intra cu-
biculum suum, qualia sunt, quæ ex aromatibus
confici solent à pigmentariis. Laudauerimus ma-
ximè, si iisdem suffumigiis vteretur localiter ad v-
teri corroborationem, excipiendo vapores intra
vterum, quantum fieri potest vestibus vndecun-
que circumiectis, ne aliunde vapor expiret. Hoc
fieri poterit crebrò, & quocunque tempore an-
ni: erit enim remedium efficacissimum ad vte-
rum aperiendum & roborandum. Et ne aliquid
erret in materia, poterit suffumigij talis esse de-
scriptio.

R. Garyophyllorum,
Nucis muscatæ,
Calami aromatici,
Seminis ocymi,
Florum maioranæ ana ʒ.ij.
Ladani electi & optimi,
Myrrhæ,
Styracis,
Benzoini ana ʒ.ij. s.

Puluerizentur puluerizanda, & liquada lique-
fiant, deinde in oleo spicæ odorato pigmentario-
rum, & modico ceræ vel picis Colophonæ, fiant
Trochisci parui, pondere vnius drachmæ, & ser-
uentur pro suffumigiis. Laudo, vt caput abluatur
semel in septimana, præcipuè si fuerit assueta, ho-
ra conueniente potius ante cœnam, vt tutior sit
continebit. Lixiuuium sit dulce, ex cinere salicum,
seu sarmentorum vitis, in quo postea lixiuuium con-
fecto decoquantur Maiorana, Chamæmilla, Be-
tonica

Loto muni

28

Cordis tremor
& hysterica
suffocatio.